



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus  
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res  
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &  
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

**Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>**

**Wirceburgi, 1743**

Martinus Abbas XLI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

submit, Eckardus Abbas electus fuit anno 1450. Vir spectatæ pietatis & rarissimis queisque Religiosi Præsulis dotibus ornatus. Æris alieni ab Antecessoribus conflati magnitudo, & bellum quod inter Joannem Episcopum Wirceburgensem & Marchionem Brandeburgensem Albertum gestum est, multas optimo Abbati curas & molestias faciebant; Marchio quidem Brandeburgensis magnâ peditum equitumque manu Vicina loca infestans, Monasterium flammis absumpsit, postquam illud ducentos avenæ modios, pagus Somerach autem florenos 500. Nordheim 200. hostili avaritiæ expendere debuit. His curis & laboribus fractus Eckardus supremum diem habuit Divo Michaëli sacrum anno 1466.

## MARTINUS ABBAS XLI.

Eodem adhuc anno Martinus natione Austriacus, ex Cænobio Ægidiano Norimbergæ ad nostrum translatus, Eckardum secutus est famâ pietatis & disciplinæ Monasticæ studio facile celeberrimus. Præterea recuperatis multis pagis, decimis, advocatiis & juribus, quæ temporum priorum iniquitas nobis ademerat, suis quasi è cineribus

ribus Monasterium excitavit; religiosorum numerum ad 50. personas auxit, inductâ observantiâ Bursfeldensis congregationis celebris, & ob tot præclarè gesta ab ipsa Sede Apostolica dignus iudicatus, quem insigni Mitræ ornamento coronaret. Obiit anno Domini 1494. 25. Febr.

**MICHAEL ABBAS XLII.**

Successor Martini Michaël Gerlocuriâ oriundus Monasterio nostro anno 1494. præesse cœpit; Campanam magnificam fundi curavit, quam postea unâ cum aliis Monasterii ornamentis rusticorum insurgentium furor injecto igne concremavit: anno administrati officii sui nono, onus hoc, cui diutiùs ferendo ob ætatis jam provectæ infirmitatem se non esse parem ultro fatebatur, deposuit, reliquos Vitæ dies sine negotiorum strepitu in quiete transacturus. Vix annus effluerat, ex quo sibi soli vivere cœpit, vivere desuit, anno Domini 1504.

**PAULUS ABBAS XLIII.**

Festo Conversionis S. Pauli Paulus Patriâ Detelbacensis Abbas inauguratus est anno 1503. cum Cellariam antea magnâ suâ commendatione

F 2

admi-